Votum. Germanorum populi votum pro pace etc. 1643.

GERMANORUM POPULI
VOTUM
PRO PACE,

QUÆ

Post Feralia xxv. annorum per Europam bella, rem Imperii Rom. cumprimis, & Germaniarum conclamatam, parari incipiet

MONASTERII ET OSNABRUGI,

Ad Kalendas Iulias

ANNI

cIↄ Iↄc xliii.

NEC PRIVATOS FOCOS, NEC PUBLICAS LEGES, NEC LIBERTATIS JURA, CARA HABERE POTEST, QUEM DISCORDIÆ, QUEM CÆDES CIVIUM, QUEM BELLUM CIVILE DELECTAT: EUMQUE EX NUMERO HOMINUM EIICIENDUM, EX FINIBUS HUMANÆ NATURÆ EXTERMINANDUM PUTEMUS.

M. Tull.

VOTUM
PRO PACE,

Quæ

ORBI CHRISTIANO JAM PARATUR.

LIceat Vos in præſens, Europæ Reges Principeſve, iiſdem prope compellare verbis, quibus olim Aggæum, Malachiam, Zachariam Prophetas & Dei miniſtros alios compellarunt Oratores Iudæorum: Num jejunabimus & flebimus quinto adhuc & ſeptimo menſe? Non menſes hactenus, ſed annos admodum plus quam vicenos Chriſtianorum populi, quaqua habitant, cumprimis vero Germani, millies atque millies deflevere, & deflent etiam nunc diram bellorum rabiem, religionis & innocentiſſimorum quorumque exilia, urbium terrarumque incendia, funera quiſque ſuorum, conjugum, liberorum. Quantum, per Deum immortalem! vel proximo ſeptennio, falſæ pacis ſimulachris, orbis Chriſtiani ludibriis à piis animabus illachrimatum? diſcordium alioquin & infeſtiſſimorum hoſtium quanta concordia ad inferendam reip. amplius atque patriæ perniciem? qui conſenſus inter vos tot abhinc annis fuit, ut ſpes Chriſtiani nominis, vota noſtri omnium ac deſideria luderentur? Itane vanas de titulis, de nominibus, de loquendi formulis, de prærogativa diſcordias, inauditas ante hanc diem conditiones, cautelas, exceptiones, indigna fribuſcula, & conjuratas ferè comperendinationes, ſuſpenſos ſenſus, dubia verborum, meras opiniones & pertinaciam ſaluti orbis præhabere fas ſit! dum religionis patrocinio alii & tutela, alii diverſarum religionum patientia rem ſuam agunt, quidam rebus inhiant utcunque propriis,

religio pariter ac Reſp. Univerſi, qua id Chriſtianum nomen profitetur, convellantur! Quamdiu alter in alterius ditione novitates, & per eas publicæ rei mutationem, hic illius futuram brevi neceſſitatem præſtolabitur, utrique in ſummum in ſuos imperium interim ferentur? Nihil tergiverſamur in negotio tam arduo. Merito quiſque eorum quidem cauſam agat, cum quibus ſacroſancta colit federa, queis fidem ſuam condixit; quiſque, repetimus, ex charitatis lege atq; gentium juribus, oppreſſis & invalidis, contra potentiores, dum potuit, opem tulerit; nec tamen propterea pacis omnis cogitatio ponenda eſt. Denegata hactenus noſtratibus, adverſæ partis Principibus, aliiſque juris ſui Rebuſp. ſecuritatis inſtrumenta, vel, uti vocant, ſalvi conductus libelli, non tam ad abolendam, uti traditur, vim inviſorum, quæ noſtrorum nonnullis cum exteris intercedunt, federum, quam merum nomen. quaſi de tollenda externa mali ſpecie magis, quam ipſo malo ſollicitis eſſe liceret, in tanto ipſius Univerſi negotio. quaſi ingrata federa ita nobis forent reformidanda, ut ſimul pacem, & cum ea deſideratiſſimæ communis ſalutis curam reformidemus. Quantum verò lentum negotium pariter remorata fuit hactenus de ſupremorum, hoc eſt, Cæſareorum titulorum jure contentio. Sed quid illa profectum, fatemini, quæſumus, Patriæ moderatores? Invidit alter, alter poſſeſſionis commodo fruitus, ſed quantoperè laceſſitus? dicamus quod res eſt, utrique Diris quiſque ſuis, odio ille ac livore, hic perpetua fere calamitate, ſed magis Europa exagitatur. Forte religionis Zelus, & ſolius ſuæ propagandæ ardor, & in reliquas odia implacabilia, ingenerata, imperata ſive qualiacunque vel ad aras coram virgine matre facta, & iterum atque iterum repetita vota aliquos triſtis hujus fabulæ actores abſolvunt? vel aliquis forte Conſcientiæ Conſiliariorum ſuffragiis pro exſtirpando qualicunque ad

Catho-

Catholicæ fidei incrementum obſtaculo, & in bella inexpiabilia decreto locus eſt? Profecto ſtolidi ſumus & vecordiſſimi, ſi tales conatus comprobemus, vel reſpiciamus minimùm rigidiora illa in rem conſulta, cùm, ingratiis noſtris, uſquequaq; ſacra pariter diverſa conſervata videamus; & id, quia ſupremo Numini ita placet, & forte ipſi ita placere exiſtimandum eſt, quia totiens illi pietatis obtentus dolo, crudelitate, ne dicamus perjuriis temerantur. Jam quot coëmpta patrocinia, quantum in concitandis factionibus ſtudium, quæ in incendendis odiorum fomitibus artes, quæ promptitudo & liberalitas in reſtituendis, quas hoſtes tenent, regionibus, & in corrumpendis mutuo regnorum atque Principum miniſtris? quantus ardor in conſervanda quam quiſque juravit fide, & eludendis adverſariorum invicem artibus atq; ſtrophis? Quæ Regum facilitas cives, domeſticam pene ſecuritatem, ſuorum fortunas & ſanguinem in auxilia aliena præſtandi? quid viciſſim non operæ collocatum in involvendis disjungendiſve eorum animis, quos federum ſacra conjunxêre. Sed cui illa omnia, quæſumus, Germaniæ noſtræ bono? Illud verbo comprehenſum legatis ex tabulis, quas infeliciſſimæ memoriæ, in poſterorum gratiam appendimus. QUOD ÆTAS OMNIS LOQUATUR ET DEPLORET, QUOD ÆTERNUM CONDOLEAT CIVIS OMNIS, EXTERNUS OMNIS, OMNIS POPULUS: ILLA OLIM TERRARUM REGINA, ILLA IMPERIO, PRINCIPUM MAIESTATE, LEGIBUS, GENTIS GLORIA, UBERTATE OMNI AC DIVITIIS SUPERBA, FELICITATIS INVIDENDÆ GERMANIA, IPSA VICINORUM INVIDIA GERMANIA, GERMANIA POPULORUM OMNIUM ADMIRATIO, SECULO POST CHRISTUM NATUM DECIMO ET SEXTO, FERALI XXV. ANNORUM BELLO ITA ATTRITA, UT IPSI PENE NIHIL PRÆTER NOMEN SUPERSIT; UT NE IPSI BELLO NEDUM CIVIBUS IN EA QUICQUAM, SED FERIS OMNI SUPERSIT; UT

NIHIL SUPERSIT, QUAM UT QUAMPRIMUM A NOBIS CONDICATUR ATER ET FUNESTISSIMUS DIES, QUO MISERANDUM CADAVER EFFERATUR; ITA BELLI FLAMMIS PETITUS EUROPÆ PARADISUS, UT DUM, INDIGENARUM EXTERORUMQUE ALII FACES SUBDUNT, ALII RESTINGUUNT TOT ANNOS INCENDIUM, IN BUSTUM HOC CONFLAGRARIT. Cætera malorum lugemus, cum præ singultibus atque lachrymis non possint recenseri, quin quod à nullo ingenio, nulla facundia exprimi possint, nulla oratione aut verbis commemorari. Et quid multis designare juvat, vel inconditis clamoribus vulgare, quæ ubique gentium pridem sentiuntur. Sentiunt certè Galliæ, si quod rei confiteri fas est, interceptum per Germanias commercandi usum; experta hactenus & luget Italia vastitatem vicini Imperii, universa, quaqua Europæ terrarum agit mercantium natio, ac propterea Principum fiscus solitarum inde eget fortunarum. Has Martii homines dudum suas fecêre; queis, quia in corpora nostra atque adeò ipsas animas, simul in opes & fortunæ quidvis imperium mandatum est, imperium hoc nomine gravissimum & intolerandum, quia diuturnius & haud finem unquam habiturum. Considerantibus enim nobis hactenus cum cura, Principum, eorumque qui ferale bellum ipsi belligerant, furorem atque pertinaciam, inde quid præter desperationem reportatum? quid comparuit de miseriarum ac servitutis fine sollicitis, præterquam inanes Legationum, Mandatorum, quæ tot jam annos interponuntur, & litterarum ultro citroque perlatarum apparatus? Inde quam nihil solatii nobis provenerit, judicatu non obscurum ex eventu est. Est vero dictu longè difficilius, num qui mediatorum partes sustinere voluerint, animo magis ancipiti, vel utrisque partium æquo causam nostram egerint, quam nos eorum operam magis suspicaci, quam simplici atque recto exceperimus

rimus fuerimusque interpretati. Homines sumus, communem mortalium sortem non dissimulamus; totiens elusis, nec tamen injuriam ultis, semel suspicari impune liceat; nec etiam nostri omnium una causa, una eademque sententia est. Verendum tamen, verendum, iterum ingemiscimus, ne quid affectibus & partium studiis in hoc nonnunquam negotio datum, ne quò quisque proprii commodi studio, vel beneficio, vel simultate tractus, eò partium secutus fuerit. Quis nostrum ambiget, Magnum illum Ecclesiæ Catholicæ in terris vindicem, per tot Legatos suos, per tot Nuncios, per cœli adeo atque Numinis, cujus ille vices vendicat, auctoritatem atque jurisdictionem in nullam rem magis, ac in fidei & Ecclesiæ Romanæ incrementum esse intentum oportuisse? Eò comparata jam diu esse Catholici, Christianissimi, defensoris Ecclesiæ & Advocati cognomenta, & deferri solita illa Principibus insignia militaria, inusitatam indulgentiarum in fidei antiquæ propugnatores Pontificis liberalitatem, fortunarum Ecclesiæ in bellum adversus hæreticos, inter ipsa pacis negotia, profusionem, quis Acatholicorum tam hebes est, quis tam cæcus, qui non videt? Quid à reconciliatoribus reliquis præstitum, alii edisserant; nobis nec plane nobis volentes, nec plane offensos, veritatis professione in nostra ultrò capita concitare haud integrum videtur. Agite ad rei summum pergamus, & omnis hujus dissidii ac bellorum rationem, sine studio, sine odio, à capite arcessamus, juxtaque verum illum belli finem in mentem vobis, Principes qua, opinione nostra, eundem exulare jusseritis, revocemus. Inquirentibus autem nobis sollicitius in rei hujus naturam & occasionem, omnium primum animos nostros subit cogitatio, (ne dubiis verborum vel ulla circuitione rem manifestam involvamus, vel digressione evitare velle videamur) quo factum fato, ut bellum hoc patriæ nostræ exitiosum magis, magisque expiabile, quam bella alia aliis Regnis, ubi

illa nata, esse consueverint. Sed utinam vobis, Patres, remedia & de tollendo malo consilia inventu non difficiliora forent, ac nobis omnis hujus mali origo in proclivi fuit & facile explorata. Quod detestetur ætas omnis, omnis posteritas, malum, quod quaterna amplius lustra nos agitat, apud Boëmos, Italosque natum mirum quanta celeritate ad Lares nostros, ad nostras aras atque focos translatum fuerit. Et forte radices satis amplas in Regno haud spatiosis limitibus circumscripto, nec in Mantuano Ducatu, illo exiguo terrarum, vel sterili Pedemontano circa Pinarolium agro, sive inaccessis Allobrogum Alpibus, vel illa Rhætiæ Inalpinæ particula, Tellina valle satis fœcunde provenire noxa poterat. Fæcundior ipsi tellus atque amplior, amplissima ditissimaque terrarum Germania deligenda fuit, horreum illud & deliciæ, quæ maximè imbelles & ignavissimos quosque raperent in sui amorem, armarentve; deligenda Germania fuit, illa tot Principum sacris inter se dissidentium ferax, ferax populorum simplicium atque erectorum, sui & securitatis oblitorum, & propterea alienis fraudibus atque insidiis patentium, tenacium tamen libertatis aliquantum & conscientiæ privilegiorum. Horum modum atque limitem dudum Principes transgressos, Ferdinandi, Imperatores, Imperatorum cum victoriis & superioris fortunæ blandimentis imperium in Procerum atque ordinum innocentissimos accrevisse, Principes vicissim asseverant. Utris credendum judicatis? Mox querelæ de pactis utrinq; violatis; pactis quæ Cæsarem inter, superiori seculo, & Protestantium, uti nuncupamus, Ordines, Passavii; quæ Ratisbonæ, quæ Verbini, quæ Clarasci inter Imperatorem & Hispaniæ Galliæq; Reges inita, utramq; paginam faciunt. Hinc Suedorum contra vim publicam, injurias, jura populorum, federe & amicitia junctorum ab Austriacis læsa, protestationes, inprimis veró ad federum & sacramentorum fidem provocationes, quam

Galliæ

Galliæ & Sueciæ gentes apud diverſos interpoſuere. Et illæ quidem eò promptius cum non unis patrię noſtrę Poteſtatib. coivêre, quo earum Hiſpani hoſtes vehementius in Regem, Francorum putamus, ipſam ejuſdem parentem, & unicum Germanum, & conſanguineos Principes irritaſſe, & ad defectionem Auſtraſiæ Ducem totiens, & alios gente, officiis, fide Francos ad perfidiam permoviſſe apud nos fama eſt. Nec fœdera Suedis pauciora cum noſtratibus percuſſa. Primum fuit cum primario Pomeraniæ emporio, de tuenda ejuſdem, ſed magis Balthici maris, uti ferunt, libertate; Huic reliqua, poſt pactas in annos admodum XXVI. cum Sarmatis, de avito regno, & opportuna illa Pruſſiæ provincia bellorum inducias, cum tot Circulis ac Principibus, etiam Electoribus Saxone & Brandeburgico, ſucceſsêre. Mox ipſis cum utriſque inauſpicata Germaniæ noſtræ bella: Bella, ut mali originem memoremus, ex ipſa pace orta; qua niſi meliorem fuerimus adepti, perpetuis bellis ſupereſſe, & cum libertate exſpirare malumus, quam doloſæ, quam ſuſpicioſæ pacis titulo decepti, uti fecimus, fœdiſſimum in modum porro ſervire. Et cui pax ejuſmodi non gravis atque noxia, cum ipſis ſuis auctoribus conſultoribuſque funeſtiſſima ſit. Conſtitit nefanda illa Imperio, ut rei diritatem atque peſtem verbo indigitemus, non utraque Luſatia, & Primatu Magdeburgenſi tantummodo, & aliquot Saxoniæ præfecturis, & Bremenſi Archiepiſcopatu, & difficillimis de reſtituenda Pomerania, fere cum Auſtriacarum hæreditatum jactura conjunctis bellis, ſed tranquillitate noſtri adeò omnium & ſecuritate. Quam nobis nunquam reſtauratum iri credimus, niſi tali pace, qua diſcordia Imperii membra reconcilientur, reſtituantur ordinum, Principum & Rerump. cuique ſua privilegia, qua Imperio & ejus Tutoribus vindicibuſque ſuum decus & auctoritas, ſuum cuique jus ſartum atque tectum conſervetur; qua inviſæ conditiones, exceptiones inauditæ,

ad æterna diſſidia materies, aboleantur, exules tot Principes revocentur, regiones atque dignitates, quæ contra Imperii legem, jurata pacta, ablatæ, reſtituantur. Uſque quò de intercepta in avitas juriſdictiones & Septemviri munus ſucceſſione infelices, querulentur Palatini? Horum quandiu voces exaudiantur de injuria, de ruptis Imperii juribus, de vendita vel ante paternam culpam ſua hæreditate? quamdiu illegitimæ poſſeſſionis impunè poſtulentur, poſt Philippum, Hiſpaniarum Monarcham, tot Principes, elector Bavarus, Leopoldus Archidux, Darmſtadienſis Landgravius, & Neoburgicus Dux, & admodum Præſules Eccleſiæ ſupremi, Moguntinus, Spirenſis, Wormatienſis? Liberetur tandem Bavariæ Elector injuſti de retinendo alieno Principatu rigoris ſuſpitione, qua tot jam annos oneratur. Nulli noſtri Principum, quod noviſtis Proceres, gratis hoc bello militare ſolent. Vos vero, quos Imperii Fulcra veneramur & Columina, obteſtamur, ut, debitam vobis jure, ſublimem illam dignitatem illibatam conſervetis, nec, quod ſemel fuiſtis paſſi, patiamini amplius Imperatoriæ proximam, ſimilem Regiæ ſortem veſtram evileſcere, nedum eam ſubſiſtere infra Nobilis Poloni conditionem, qui nunquam Regis nutu, vel injuſſu populi, ſed in omnium Regni Ordinum comitiis, ob quantumcunque ſive in Regem ſive in Regnum crimen, damnatur. Et quid de membris non metuendum, ſi ipſa capita, qualia ſunt veſtra, nobis adoranda, tam indignas ſubierint cenſuras? quis noſtrum de ruituro brevi hoc Imperii domicilio non peſſime ominabitur, dum columnas ejus atque fulcra, quæ fulcire labantem Remp. debebant, ante diem ſuccidi proſternive videmus. Utinam vero pariter omnes indignas vices doleremus; & metuendæ nihil nobis æquè univerſis novitates forent, quibus, in hac animorum & cauſæ diverſitate alii auſpicia atque animam, alii patientiam commodant. Novitates loquimur & molimi-

na

na adverſus juratam pacem, adverſus pacta de mutua ſacrorum libertate. Quaſi pœnitere honeſtos viros & Germanæ fidei, quam adeò certatim omnes crepamus, deberet eorum, quæ ſanctè jurarunt, quæ conſultâ expenſâque Reip. & Eccleſiæ, &, quæ tum fuerit, temporum conditionis ratione, in Orbis Chriſtiani oculis & ipſâ fere cælorum conſcientiâ, tranſegerunt. Si quid ad ſuam ſecuritatem profecerint hæretici, ſcitis, quam vos nunquam vires, contentio, auxilia defecerint, quam cælum terramque miſcueritis in illorum detrimentum. Poſt tantum minarum, & fuſi cruoris, poſt tot incendia, exitia & hæreticorum proſcriptiones, tandem immortalis Dei imperium agnoſcite, ſacri Antiſtites, agnoſcite, Eccleſiæ Patroni & Defenſores, cæli indulgentiam, quam nemo Chriſtianorum, quod ſciamus, unquam iniquitatis poſtulare auſus fuit. Minimè verò religionem ad tuendum æternæ diſcordiæ jus obtendere nobis liceat. Non conceſſa hunc in finem cælitus nobis ſacra ſunt, ut illis fidem, illud ſocietatis humanæ, atque adeo humani generis vinculum diſſolvamus. Et, dum Poteſtatum à Catholica fide ſenſuque alienarum nulla arbitrum ſuum vel judicem agnoſcit Pontificem Romanum, quid illi juris in haud obnoxios, vel conſcientias eorum competere poſſe exiſtimemus. Recordemur antiqui circa religionis curam inſtituti, quam illa ſemper ab omni violentia atque ſanguine fuerit aliena; ad indolem & primævos Eccleſiæ, ſultis, attendamus mores, & nunquam illam ferro hæreticis jus dixiſſe, nunquam illam ſeſe armis, cæde, exilio à Catholica fide deviorum, vel flammis aut vivicomburiis, verum ſpe & patientiâ tutatam comperiemus. Non heri quidem vel nudius tertius ſaxum hoc volvere cœpimus, ſed quo ſucceſſu, quo Eccleſiæ emolumento? ſeveriſſimos fidei exercemus actus, ſed qua utilitate? Bona hæreticorum & fortunas fiſco addicimus, ipſos, etiam pœnitentes & errorem depre-

 catos,

catos, quod juſſit ſummus Pontifex, Innocentius id nomen III. carceri mancipamus; domos eorum & ſtationes diruimus, dirutas ſale conſpergimus, addita dira ſemper hæretici nominis execratione: tot vituperii ipſis lapides, probra, contumelias, maledicta figimus: quotannis ſolenni ceremonia diris devovemus, &, ut cum Eccleſia matre loquamur, anathematizamus: Pontificis Opt. Max. Innocentii IV. mandato, etiam ipſos vivos igni cremamus. quid? fidem illis datam violamus, nec ſine ſacroſancti Concilii Conſtantienſis auctoritate, cujus ſeſſione, ni fallimur, decima & nona, conceptis verbis perjuria ſine piaculo atque nefas patrari poſſe ſtatuitur. Quod vero ab omni humanitate quam maximè alieni & truculentiſſimi fidei nominiſq; Chriſtiani hoſtes, Turci exemplo contrario nobis exprobrare ſcelus videntur, quorum ſummus, & illius ordinis maximus Imperator, Mahomedes fidem Chriſtianis exquiſitis & repetitis totiens verbis non pollicitus tantum, ſed ſanctiſſime ſervat & veneratur. Et quid profecimus noſtra in hæreſes ſeveritate? Waldenſes tot ſuppliciis, tot cladibus affecimus, haud coërcuimus: in Gallias expulimus, inde in Calabriam, & porro in Poloniam, denique in Britanniam, ſed ut ibi gentium vires, quas pridem attriveramus, reſumerent, inſtaurarent. Certe ex illorum cineribus Wiclevus, Iohannes Huſſus, & demum Martinus Lutherus, Auguſtiniani ordinis, aliique prognati ſunt. Carolus Imperator, quantum potuit, horum doctrinæ ſectatores, ipſos Imperii Summates, formidoloſiſſimis, ſed fruſtra, bellis perſequebatur. Ferdinando contra & Maximiliano, prudentiſſimis Principibus religionis pacem atque libertatem tot Decretis ſancire viſum. Nec illis ſubſcribere Rudolphus II. pacis amantiſſimus Imperator, dubitavit, nihil vel ſummæ temporis ad bellum opportunitati indulturus. In Ferdinandis experti plurimi acerbum & ſingulare præ reliquis, quotquot Im-
peratorum

peratorum exſtitêre, in diſſentientes odium; quod vero ſacerdotum nonnullis ſanctitatem, & Apoſtolicam omnino virtutem placet appellare. Quæ vero quantum Eccleſiæ profuerit, ejus vaſtitas, & ſumma per Germanicas maxime antea Catholicas, Catholicorum infrequentia conteſtantur. Egregius, ſcilicet, pro religione æſtus, ita in Abbatis unius gratiam, ædem unam non tolerare, ut mille ubique, cum Imperii univerſi mœrore, everterentur. Nec niſi poſt accepta, ſenſaque in Rep. in Eccleſia tot damna, Galliarum Reges, Franciſcus & Henrici Valeſii ſapere cæperunt. Henricus Magnus & Ludovicus Iuſtus, religione pietateque à majoribus ſuis haud ſecundi, per Regnum ſuum Proteſtantes, præter conceſſam firmatamque ſecuritatem, etiam dignitatibus, ſummis muneribus honoribuſque dignati fuerunt; rati, diſcuſſis aliquando ſimultatum nebulis, concordiæ ſerenitatem & veterem inter cives neceſſitudinem Franciæ ſuæredituram. Experimento didicerant ſapientiſſimi Reges, ſive vincerent, ſive vincerentur cum civium ſuorum ſanguine, id ſibi inglorium pariter ac patriæ exitioſum eſſe. Proinde turbis, ſuſpicionibus, factionibus & funeſtiſſimis domi bellis finem tandem imponendum arbitrabantur. Deſinant itaque moroſæ illæ & inanes noſtræ voces, quibus Gallos mobiles, præcipites, factioſos & admodum incautos appellamus. Certe ſi ipſi hic imprudentiæ & temeritatis poſcendi, dum ſaluti ſuorum conſulunt, cives ſervant, dum ſine cæde fere tot factiones profligant, tanta incendia ſine ſanguine reſtinguunt: nos, cives pellendo, flammis, ferro, internecinis bellis perſequendo, invidendo ſaluberrimum atque unicum orbi beneficium, nonne ipſam inſaniam, ne invidiâ quidem contradicente, inſanimus? Sed talia quærunt effugia, & ferali inſtituto Speciem fingunt, in quos omnis juſtiſſimi Dei ira exarſit, in quos Furiæ omnes ac Erynnides, ſi lo-

qui ita fas ſit humana pridem cuncta ſupplicia expertis, conjurarunt. Viderunt ſuperiora tempora bellum de eadem cauſa, inter eoſdem, Catholicos homines & Proteſtantes, ſumma utrinque animorum contentione geſtum, ſed intra ſextum annum diremtum. Noſtrum totidem propemodum & adhuc viginti admodum bellamus annos, ac forte æternum bellaturi, ni ſeriòmagis, quam factum hactenus, mederi malo deſideraverimus. Tantum, tantum (aures huc animoſque, Domini, advertite) ad firmandum Catholicum nomen unius Cæſaris providentia potuit & moderatio; potuit tantum pro Proteſtantibus unius Principis conjuncta cum invicta fortitudine ſollicitudo. Et totidem pro iiſdem ejuſdem potuiſſet fratris nepos, niſi in publicæ rei curam privata ſtudia ſurrogari paſſus fuisſet: niſi ſuſceptis ante exoratum prius in conſilia Numen votis, odiis propriis, alienis incitationibus nimis fuiſſet indultum, paria facere cum Carolo Ferdinandi, hoc eſt, conciliata inter nos pace, jamdudum Germaniam conſervare potuiſſent, vel tolerabilem ipſi ſtatum conciliare. Bellorum omnium graviſſima agnoſcimus civilia, civilium longè funeſtiſſima, quibus externi ſimul Reges & Reſpublicæ intricantur; ſi illis nimirum cum indigenis federationes, & arctæ in libertatem religionum neceſſitudines intercedunt. Quas qui rumpunt, rupiſſe federum & gentium jura, ſociis vim feciſſe exiſtimantur. Utrum verò mœreamus vel deteſtemur ignoramus, ſed magis adhuc ignoramus, num majori licentia in noſtratium, per federa, terrarum imperium lati peregrini fuerint, quàm nos neceſſitate, neceſſitatis, quæ cervicibus tamdiu intentata, ſcopulum vitaturi, ad quærendam externam, cum defuerit domeſtica, opem & auxilia tranſmarina compulſi; vel num majori forte ignaviâ, immemores priſtini decoris, nos emi, præmium avitæ fortitudinis in turpe ſervitutis precium converti paſſi fuerimus. Sed fortaſſis truculentiæ ve-

ſtræ ac furori non ſuffeciſſent civium capita, quorum, poſt tantas clades & continuas interneciones, non poſſunt non ſupereſſe pauciſſima, niſi invitatæ ſimul fuiſſent, quaſcunque reliquum Europæ fert, gentes, ut juxta nobiſcum mactarentur. Nemo hîc nobis antiquitatem & vetera retrò exempla commemoret, nihil imbelles Græculi de Troja ſua, urbis excidio fabulentur, nec Poenorum de Carthagine ſua querimoniam, gratulationes veterum Gothorum de vaſtata à ſe Roma audiamus. Illa totiens, & cum eâ ſimul Italia exciſa fuit ſed renata, ſed ſui adhuc ſuperſtes. Hîc de Imperio Romano, de Germaniis, bellicoſiſſimorum populorum gloria & libertate, noſtrum incolumitate pene actum & conclamatum eſt. Tot cladibus conficiendi fuimus, tot incendiis patrimonia exurenda, ante quam reſipiſcere cœperimus. Urbium opibus, fortunis & ſanguine provinciarum, civium jugulo, conjugum, filiarumque pudicitiâ redimimus hanc calamitatem;aliorum olim domitores atque vindices, jam fabula propudioſa, patientiæ & indignitatis omnis argumentum. Terremur undique, fugamur, in prædam ruimus; omnia adverſa, cœlum, terram, militis proprii injurias & exactiones experimur. Cum tantis periculis libertatem defendimus, & interim ſervitutis jugum cum exitio ſuſtinemus. Mox Religioſorum ædes repetimus, vindicamus, ſed qua religione? Illas ipſe indigena & noſter miles diripit, vaſtat, exurit. Hac nos æquitate æquitatem noſtram infeliciſſimi propugnamus. Omnia pro ſalute impigrè tentamus quod prodeſſet unicum, quod fata hæc ſufflaminaret, unicum deſperatæ hujus rei aſylum qua concuſſam hanc & perituram naviculam conſervaremus, anchoram naufragi pertinaciſſimè negligimus, PACEM. Hominum fidem! quam illa rerum optima pectoribus noſtris proſcripta eſt & deportata; ut ne memoriâ illam, nedum conſortio ſanctiſſimum bonum mortalium

miſerrimi

miserrimi hactenus dignemur. Exemplum feræ ac invitæ ad reconciliandam concordiam voluntatis proximum, quod modò attigimus, de religione bellum nobis præbet. Post protestantium ad Mulbergam & Saxoniæ Electores protritas vires, Catholicorum animus quam alienus à reconciliatione fuerit, nemo non vestrum novit. Quid? nutante fortuna, & jam tot Præsulibus pulsis, tot veteris fidei penè sub jugum missis, periclitante & tantum non animam agente religione, incredibilis adhuc omnium animis ad bella insidebat alacritas. Vincebat tamen aliquando patriæ & religionis apud Optimum Cæsarem cura; & victoriarum Mauritii & progressuum intuitu, fortè etiam metu externi hostis in nos moliminum, & motuum Africanorum, discordiæ omnes & earundem causæ in hanc usque tempestatem sublatæ fuerunt. Longissimè verò tum aberat, ut nostri tot principes externis Regibus fidem, qualem debent multi hodie, æquis juratam conditionibus, debuissent, ut suas fecissent exteri provinciarum nostrarum maximè opportunas, ut omnem regionem noster perinde ac externus miles exhausisset, ut ad has angustias fuisset redactum Imperium Romanum. Non in finibus Balthici maris, vel in extremis Alpium vagatur hostis, sed meditullium hæreditatis vestræ insidet, Austrii, ad Domus vestræ & Majorum peculia, tanto sanguine & labore parta, grassatur. Non minatur, ne erretis, eminus jurata illa Gothorum manus, sed propius Sacratissimi Capitis verticem quærit atque jugulum. Restat postremum facinus audeant Suiones atque Fenni, & Austriam inverti, Augustam sedem, & in ea Imperii decus & Majestatem invadant. Hic rerum vestrarum status est, Imperaror, Septemviri, Principes Proceresve, hæc nostra & Germaniarum conditio. Verumenimverò venit, venit commodùm, quod nobis omnibus atque posteris faustum, bonum atque fœlix sit, ille dies, quo, si non potiri protinus,

ſperare tamen optime licet de malorum fine. Satis odiis & atrocitati litatum. Ne procedamus eò demum feritatis, ut humanitatem omnem, & cum ea hominem omnino dediſcamus. Verum hoc, quod plurimis perdifficile videbitur, ante omnia gnaviter vobis atque feriò faciendum erit, ut leges, quas ſacras promiſcue & profanas temeravimus, ſi non omnes, ex illis unicam in uſus veſtros atque patriæ revocetis. Eſt ea oblivionis; oblivionis, qua præteritarum omnium diſcordiarum & acerbitatis memoriam penitus deleamus & obliteremus. Omnium diximus. Quid enim prodeſſet, partem ſuſtuliſſe, ut quicquid reliquum mali intenderetur. Stolidi ſunt & infidi medicantes, qui in corpore prorſus ægro cruris vel manus curam ita habent, ut membra quotquot ſunt, reliqua negligant. Corpus hoc, quod imperium Romano-Germanicum appellamus, totum, quantum quantum eſt, ægrum eſt atque morbidum, in cujus externis inſuper partibus tot ulcera & gangrenæ exſtiterunt. Medicina utriſque illis graviſſimis malis facienda eſt. Quæ quo tardior, quo opem ſuam ægris & feſſis requiem Optimus Deus longiùs protraxit, eò gratior futura. Inde beneficiorum Lubecæ ſuperioribus annis excluſi omnes fuimus & prohibiti. Pragæ niſi pauci noſtrum admiſſi, ſed ut in reliquos bellum acrius ſuſciperetur. Ita non concordiam nefanda pax, ſed perpetuum bellum attulit, adeoque bello truculentior. Cæterum intuta, totiens laceſſita, plurimis exitioſa, cujus pactio penè cunctis lex ſervitutis exſtitit. Et quod nos tali, ſecuritatis veræ cupidi, non potuerimus inniti aut fidere, peregrini noluerint hactenus propter decus, quis ſine cauſa mirabitur. Suedi, & qui cum ipſis Principum in communi cauſa contra Auſtriacos & Catholici nominis ſocios fecerint, ſe excluſos contendunt. Pacis conditores perſuadere Suedis volunt, ut credant ſecus, quam quod ipſi volunt vel non poſſe teſtantur. Utris nos credamus, Arbitri? Videmur nobis pridem exaudire veteres illas controverſias; Saxonum fedus cum Guſtavo exſpiraſſe. Iam Suedorum, cauſantium auxilia ſua poſt Regis exceſſum, & ſociatas cum Saxonicis

xonicis

xonicis copias. Quis veſtrum componat diſſenſiones ratione, vel auctoritate, vel ſtylo, cum ne mucrone, ferro, flammis dirimi adhuc potuerint: nec poterunt, quamdiu ſuppetierit ager, oppida, pagi, in quos acerbiſſima odia ſtringantur. De eventu, non de cauſa, hîc judicamus. Illud tamen pronunciare liceat; quod adverſam & continuò novercantem fortunam, quam miſerrimus Electorum expertus, ſi non deterioris cauſæ ſemper, ultionis certe divinæ documentum eſſe. Et utrum poſthac duriora ſubiturum judicemus? Num hoſtem victorem? vel quiillum in viſceribus ſuis hærentem graſſantemque ſuſtentare cogitur. Brandeburgico, Deus bone! quàm item omnia infeliciter ceſſerunt; quantæ ſtrages editæ in ampliſſimas terras. Ipſe tamen reliquis felicior inter ſummam infelicitatem, ut earundem excidio præveneris tempeſtivis induciis, gravi quidem, ſed haud æque magnâ pecuniâ redemtis; verum diro fortaſſis, quod plurimi ariolantur metuuntque, ſecuturæ gravioris ſolutionis omine. Suedi enim ſatis factum ſibi, federi & pactis conditionibus volent, ingratiis quorumque, nec minis Imperii, vel mediatorum auctoritate, ſive partium ſanguine permovendis. Miſerum eſt, Imperatorem, cujus virium & prompti auxilii fiducia hoc, quicquid eſt, peperit calamitatis, opem ferre preſſo Principi non potuiſſe. Miſerius adhuc, ipſum pene noluiſſe, nec velle etiamnum ex animo, quamdiu offenſa Imperii Principum cum externis federa ita perrexerit exſecrari. Sera vero pœnitentia vel indignatio illarum rerum, quas pridem temporis neceſſitas, lex gentium & naturæ, importunitas & præcipitatio Cæſareorum Edictorum, eorundemque belli Ducum rigor, intoleranda militum licentia imperavêre. Exſecrati nunquam non fuiſtis, Auſtriaci Principes, & exſecramini etiam nunc tutelam & opem, quam Helvetiorum populis, veſtris olim, Galli Reges præſtitêre. Quod externorum ambitu atque armis fidiſſimum illud & primum Imperii Regnum, Italia in tot potentatus & Reſpublicas diſtracta ſit, quis non doluit Imperatorum? Ita Philippidæ Gallorum, Anglorumque cum Belgarum nationibus federa,

federa

fœdera Galli viciſſim queruntur, quæ civibus ſuis cum Britanniæ Regibus, cum noſtratium Principum nonnullis, & cum ipſis Hiſpaniarum Regibus hactenus interceſſêre. Ignoſcite Principes, ignoſcite cives, quod liberius mali cauſam & viciſſitudinis deſignemus. In vobis ipſis ut plurimum culpa eſt. Non ſedulam muneris ſui atque fidei quiſque, id eſt, Principes haud legum, in quas jurarunt, cives haud priſtini ſemper moris ac inſtituti rationem habent. Utinam inſcriptum illud laudatiſſimi Imperatorum, Auguſti oraculum non decumanis tantum curiarum valvis, ſed ipſis veſtris pectoribus foret: QUEMADMODUM BONI CIVIS EST, REMPUBLICAM SEMEL CONSTITUTAM MUTARI NOLLE: ITA BONI PRINCIPIS EST, IISDEM, QUIBUS SUSCIPIT, LEGIBUS ADMINISTRARE PRINCIPATUM. Divini præcepti ſi meminiſſetis terrarum Principes, haud à vobis defeciſſent tot populi; ſi gentes, haud nova moliti tam inſolenter fuiſſent. Horret animus, dum inſolitas tot tantaſque populorum à Philippo nuperas defectiones cogitamus. Abſit vero, nos in cauſa minus cognita, nec noſtra, pronunciaſſe ingratum aliis, nobis jucundum videamur, qui tantum à livore vel ſtudio, quantum abſumus à neceſſitate, adeoque partium neutri derogaturi. Memorare tamen ad terrorem dominantibus, impotentibus ſui, & novatoribus quibuſque liceat. Barcinona & cum ea Catalonia primum facinus auſa. Sed quanti momenti provincia, cui mare in foſſas, Pyrenæi montes pro turribus atque muris ſunt; provincia ditiſſima metallorum, feraciſſima arborum, ad contabulandum mare materiarum, digna veteribus Gothis habita, in qua externi imperii jacerent fundamenta. Hanc ſecuta Luſitania, jure occupantis magis, & ſanguinis in Regnum titulo, quam Philipporum ſeveritate incertum. Certiſſimum vero infelici defectione Hiſpaniarum pene trientem avulſam, & cum ea horribiles Indiæ Africæque opes illas Imperii noſtri atque Principum domitrices, amiſſas fuiſſe. Quid Honoratum Grimaldum, Monæci Regulum memoremus, Hiſpanis ſemper fidiſſimum atque charum, veluti reliquis ſuſpiciendum ob firmi-

 tatem

tatem oppidi opportunitatemque, nec non portum illum celebrem, quem antiquitati Herculis cognomento placuit appellare. Quis Allobrogum Principes ad Gallicas partes unquam concessuros sibi persuasisset? Inprimis Franciscum Thomam, illum fidei olim & fortitudinis gloria apud Hispanos inclytum, dignissimum Emanuele Philiberto tanto avo, nepotem; quorum ille ad Quintini Fanum Hispanis securitatem, Regi decus asserebat: hic nuper non Audomarum tantum, contra immanes Gallorum exercitus, sed in urbe provinciam Belgii caput conservavit. Sanguine Gallico & in eundem studio unquam implicitum iri Mauritium, Imperii nostri fidissimum hactenus apud Romanam Curiam Advocatum quis credidisset. Sed has vices arcano cœlorum ordini nonnunquam, cui illæ cunque obtingant, imputamus. Scilicet, ut illo, veluti prætoria lege, domentur, qui tot cladibus domari, vel libertatis alienæ naufragio commoveri non potuerunt. Quid enim faciat amplius Princeps si quos antea in præsidium habuit & securitatem, ipsos hostium pessimos postea experiatur. Postquam enim excutiendum vetus imperium & jurisdictionem semel susceperunt, haud tanta in novos fiducia esse possunt, quippe tolerabilioris fortunæ adhuc incerti, quanto ipsi odio, memoriâ acceptæ injuriæ & spe alicujus libertatis, veniæ nullâ, in veteres Dominos ultro flagrare solent. Ne dicamus, flexibiles illos mortales & fidei ad perduellionem desultores opportuno hostibus loco sitos esse, hinc exiguâ ope adjutos eò principem adigere solere necessitatis, ut arma, quæ procul, cum ingenti rerum suarum incremento, habuit antea, in terras proprias, cum earum suique exitio, transferre cogatur. Nemo vero propterea de aliena calamitate sibi applaudat, nedum fortunæ blandiciis elatus, quisquam suam & Universi salutem usque adeò aspernetur. Tutissimis haud raro non provinciæ, sed regna integra simul periêre! & dum quisque firmissimum omnium suum credidit solium, inde deturbatus fuit. si alii victi acie, & afflicti suorum perfidia, forte brevi futurum, ut tu bello vincaris, nec per intervalla temporis aut spiramenta, sed

uno

uno momento, ſceptro, decore & majorum gloria exuaris. Unicâ clade Darii immenſa Orientis regna erepta ſunt. Una clade invictum Romanorum Imperium domitum fuiſſet, ſi hoſtis victor æquè uti victoria, ac vincere ſciſſet. Clade ad Minturnas una Gallis regnum Neapolitanum excuſſum. Ad Ticinum cum Rege quot provinciæ amiſſæ ſunt? Nemo itaque de fortuna nimis, vel ſibi certi aliquid de incertiſſimis atque lubricis, quales ſunt humanæ, rebus polliceatur. Minus tum tuta potius noſtra arbitremur, cum immodicos ſentimus impotentiæ ſtimulos & cupiditatis. Henricus, rebus geſtis magis, quàm cognomento Magnus, ubi, pacatis domi factionibus, & Regni pleriſque in ordinem redactis, ad publicam ſecuritatem ſatis ſe vidit profeciſſe, Verbini cum Hiſpanis conciliari quam belli dubia experiri maluit. Idem Hiſpani Cameraci & alibi factitarunt. Idem & vos demùm facite, quorum intereſt, intereſt vero omnium, facite, ne tot vota & innumeræ noſtræ ad Deum Supplicationes auxiſſe magis, vel acuiſſe mala quam averruncaſſe videantur. Perniciosâ cunctatione pridem ad turbandam Italiam illecti nonnulli ſunt, prout quemque vel auctoritatis, vel roboris atque virium, amicorum, ſive etiam libertatis fiducia trahit. Quæ, certè maxima ad bellum momenta, ubi in nervum proruperint, non extricabunt, ſed amplius involvent deſperatam hanc cauſam. Adeò ſimul urbium noſtrarum nonnullis ſuſpenſum pacis negotium profuit, ut ipſis, ſi bello, neutiquam communi calamitate immunibus, per potentiores hactenus eſſe licuerit. Sed illis Deus, & cunctis demum meliora, ne ipſius tot annos templa atque aras obſediſſe fruſtra, fruſtra totiens atque totiens cœleſtem opem inclamaſſe videamur.

Antequam verò finem vovendi faciamus, liceat vobiſcum, Proceres, ſuper mali præſentis, utinam non pejoris ſecuturi cauſis nonnullis, ſed præcipuis, iiſque quales vel tolli, vel plurimum emendari poſſunt, (reliquas qui vobis ſunt à ſacris concionibus quotidie ſuggerunt) penitius colloqui. Ne ægre feratis hanc licentiam. Eam nobis juſtus dolor, & exquiſiti miſeria-

 rum

rum ſenſus extorſere. Sunt illæ indigniſſima Chriſtiano nomine ſacrilegia. Quod cum pace Proteſtantium dixerimus, nulli pene eorum, ex quo Catholicam religionem ejeravêre, bona quæ ad ſacros tantummodo & Eccleſiæ uſus dicavit Majorum pietas, uti decet, hactenus impenderunt. Ea, horrendum dictu! ut plurimum in rem privatam, luxum, libidines, ingluviem à Principibus deſtinata ſunt. Sacerdotiorum beneficiorum ſacrorum quàm ampli proventus adſignati profligatiſſimis quibuſque & helluonibus, à quibus Eccleſiæ hæreditates in ganeis, inter ſuavia & amplexus meretricularum & voluptates alias conſumerentur. Quod ſcelus tam dirum, tam horrendum, ut illud ne patriæ quidem noſtræ excidio expiari adhuc potuerit. Si nolitis ſacris canonibus, humanæ legi concedite, quæ jubet, ut ablata cuique ſua id eſt, quæ profanaſtis, Eccleſiæ bona reſtituatis. Si nolitis reddere quod abſtuliſtis, Eccleſiæ Antiſtitibus, vel immani numero, qualis creditur vobis, ſacerdotum; En pauperum catervas, greges exulum, innocentiſſimorum hominum; en neglecta pietatis & artium meliorum ſtudia, campum, in quo miſericordiæ veſtræ & pietatis, ſi quæ ſit, opera exerceatis. Poſt hanc impietatem, corruptiſſimum ſeculi morem & infra hominis Chriſtiani dignitatem, crimen vinolentiæ & horribilium compotationum incuſamus. Quid enim ſive publicæ, ſive privatæ rei, quid ſacri, quid humani auſpicamur, niſi effrænata potandi conſuetudine. Natalitia, ſponſalia, matrimonia, ſacra infantium Lavacra, parentalia & ſepulturas, honores, feſtos dies, & quid non, profuſis epulis & ebrietate celebramus. Non leges condimus, non creamus magiſtratus ſine helluationibus, nec veteres & emeritos abdicamus, niſi inſigniter potos. De pace, de bello, reſponſis ad legatos, & publicis quibuſque ſummis negociis inter pocula, Principes inter ructus atque vomitus conſultatis. Ex Academiis, ex ipſis ſcholarum cathedris præclariſſima, ſi quæ inter pravos Academiarum veſtrarum mores, & vix ferendam alibi petulantiam ſuperſunt, ingenia ad aulas veſtras evocatis, ut ſatis & ad nutus vobiſcum compotent, hoc eſt, tantum vini hauriant,

riant, quantum bibaciſſimus ſitire poteſt, niſi vos offenſos velint. Quotus vero quiſque artis hujus tyronum eſt, qui in illis conflictibus, vel ſtolido in Principem obſequio, vel convivarum aut Principis ipſius exemplo, ſive etiam præmio excitus, ante diem inglorius occumbit? Et mirum, quàm nos impigrè, tam illuſtribus provocati exemplis, flagitium arripiamus. Convenerint invalidi juxta cum robuſtiſſimis, quid magis volupe eſt, quam ut quiſque promiſcue tantum potet, quantum vicinus ſitiat, ut qui ſive nolit, ſive non poſſit reſpondere, potet tamen, vel vapulet protinus, ut qui non poſſit gulâ, accepto prius verbere, ſive probro ad duellum indicio, manu provocanti ſatis faciat; Hinc mille parricidia. Scilicet, ut quod de ſe olim gloriatus Imp. Aurelianus, non minus juxta ſanguinis fundatur, atque vini hauſtum fuerit. Sed uti hanc immanitatem ad temulentiam, ita id criminis ad ſola Principum exempla referimus & impunitatem. Huc perverſitatum accedit lenta vel nulla, ſecus ac debetur miſeris, juſtitiæ adminiſtratio. Quæ cauſa, per Deum immortalem! tam evidens, tam plana, in qua non inveniant diſſentiendi argumenta cauſidici, & ſordidiſſimam artem, tricas, argutias, comperendinationes exercendi? Eò pridem turpitudinis deventum, ut patroni cauſarum non ſedandis litibus amplius, ſed augendo Principum fiſco, ceu conſtituti publica cum auctoritate ad lites magiſtri & incentores habeantur. Hæc, hæc ſunt flammarum nutrimenta & incendii, quo ardemus. Diuturnam hanc calamitatem, tot noſtrum clades, tot urbium & provinciarum excidia, ne neſciatis, illa flagicia nobis conſcivêre. Eadem flagitia remoræ ſunt & ſufflamina ad concordiam, eruntque, donec lege & Dominantium exemplis corrigantur, donec, quod unà monitum volumus, dilapſam Majorum diſciplinam militarem inſtauraverimus, illam parentem ſolitorum triumphorum, veteris gloriæ & ſecuritatis; donec cives legis, Principes virtutis, in primis juſti & temperantiæ ſequaces obſervanteſque reddantur. Plura non addimus, quod ſciamus, ea minus placitura. Hoc tantum communi voto à vobis contenderimus, ne oblatam optatiſſimam conciliandæ

pacis

pacis occaſionem negligatis, ſed tandem, quantum in vobis, finem infeliciſſimorum certaminum faciatis & contentionum. Quemadmodum enim nos, cauſæ conſcientiâ & neceſſitate adactos, queri maligravitatem oportuit, ita partium veſtrarum exiſtimabitis, ipſi pro virili atque seriò mederi, quippe quod in manu veſtra communem patriam, omnium noſtrum vitam & ſalutem geſtetis. Nobis interim, ſi non perviciſſe, ſollicitos tamen vos feciſſe ſuffecerit.

Tu, æterne Deus, Deus pacis, Cuſtos regnorum, qui Imperia & Reſp. infinitâ prudentiâ moderaris. Te ſupplici voce rogamus, ut quæcunque de religione, libertate, jure ſunt fueruntque diſſidia ſedare, odia & mutuas machinationes valide infringere digneris. Concuſſum hunc Imperii & fatiſcentem ſtatum inſtaures, Deus, ac reſtituas. Reſtituas miſerrimo populorum ſacram & civilem cuique ſuam libertatem. Redeat priſtina Eccleſiæ concordia, vera religio atque fides, & par ei vita. Redeat Reip. legum uſus & ſecuritas. Ad Principes noſtros, externoſque federum reverentia & cultus amicitiarum; ad nos pro ultione charitas atque fides, vetus civium cum civibus neceſſitudo revertatur. Hac nos gratia Deus, Deus miſericordiarum, digneris, quæſumus, eâque nepotes atque poſteros, ſi qui poſtfuturi, gaudere facias ac lætari.

ITA SUPPLICAT GERMANUS POPULUS ET EX INTIMIS SENSIBUS VOVET.

PROGRAMMA
POPISÓW PUBLICZNYCH
UCZNIÓW
LICEUM KRAKOWSKIEGO Ś. ANNY

Z ROKU SZKOLNEGO

18$^{43}/_{44}$.

W KRAKOWIE
DRUKARNI UNIWERSYTECKIEJ
1844.